

nuntur fideles ab infidelibus, anathema sit. »

(17. Sacramenta non sunt instituta propter solam fidem nutriendam. Concil. *Trid.*, cit. sess. VII, canon. 6, ibi: « Si quis dixerit, hæc sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit. »

(18. Sacramenta tribus perficiuntur, scilicet rebus, verbis et ministro cum intentione; rebus, ut materia; verbis autem, ut forma. Concil. *Florent.*, sess. ultim. in decret. Eugenii IV, § quinto Ecclesiasticorum, ibi: « Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum. »

(19. Hinc clare constat quod ad essentiam cujuslibet sacramenti tria necessario requiruntur, scilicet materia, forma et intentio. Communis Catholicorum per citat. textum concilii *Florentini*. Unde ex verbis S. Augustini relat. in cap. *Detrahe* 53, caus. 1, qu. 1: *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum.*

(20. Materia in quolibet sacramento est res aliqua sensibilis applicata suscipienti per actionem externam ministri. *Communis.*

(21. Forma in quolibet sacramento sunt verba certa una cum applicatione materiæ, proferenda a ministro; aut signum aliquod externum æquivalens et faciens id quod facerent certa verba, uti sunt nutus annuentis in Matrimonio, quibus nutibus æque bene ac verbis animus contrahentium declaratur. *Communis.*

(22. Materia in quolibet sacramento est duplex, scilicet remota et proxima. Materia *remota* est illa res sensibilis, quæ per actionem ministri applicatur suscipienti. Materia *proxima* est ipsamet debita applicatio dictæ materiæ remotæ, quæ scilicet una cum forma sibi correspondente simul prolata a ministro proxime constituit sacramentum. *Communis.*

(23. Quænam sit materia remota, et proxima cujuslibet specialis sacramenti? *Vide* in suis propriis locis, ut sub verb. BAPTISMUS, CONFIRMATIO, EUCHARISTIA, etc.

(24. Item forma in quolibet sacramento est duplex, scilicet remota et proxima. Forma *remota* sunt dicta certa verba una cum applicatione materiæ a ministro proferenda, seu aliud signum æquivalens externe exhibendum. Forma *proxima* est dictorum certorum verborum una cum applicatione materiæ actualis a ministro facta prolatio, seu dicti signi externi æquivalentis actualis exhibitio. *Communis.*

(25. Ad valorem sacramentorum requiritur similitudo inter eorum materiam et formam, quæ simultas sufficit, quod sit moralis, et tanta, quanta requiritur in actibus humanis; nam cum sacramentum sit compositum morale, requiritur et sufficit talis simultas, sive unio inter materiam et formam, ut unum moraliter, ac secundum

communem hominum æstimationem censeatur afficere alterum, considerata et attendita natura cujuslibet specialis sacramenti. Sic Scotus, in. 4, dist. 6, q. 3, litt. B. Et in re communis aliorum.

(26. Consulunt tamen doctores communiter, ut ministri sacramentorum curent majorem, quam possunt, facere simultatem materiæ et formæ, quia cum materia et forma debeant constituere unum signum sacramentale, semper optimum est, eas meliori, quo potest, modo esse conjunctas. Unde consultissimum est, quod ministri in Baptismo vere simul proferant formam totam, dum abluunt; in Confirmatione et Extrema Unctione, dum inungunt; in Ordinatione, dum instrumentum Ordinis tradunt; in sacramento Pœnitentiæ statim absoluta confessione dolorosa, pœnitentiæque injuncta et acceptata, verba absolutionis proferant; in Matrimonio post expressum consensum unius, statim exprimat et alter sponsorum. In confectione vero Eucharistiæ materia debet esse præsens, quia hoc indicant illa pronomina demonstrativa: *Hoc, hic.*

(27. Materiæ et formæ sacramentorum fuerunt omnes a Christo institutæ et determinatæ quoad substantiam. At non omnes et singulæ uniformiter, et æqualiter in particulari et in specie. Prima pars conclusionis est communis omnium theologorum. Cum enim Christus instituerit immediate omnia sacramenta novæ legis, debuit etiam omnium eorum materias et formas instituire et determinare quoad substantiam; alias si apostoli, aut Ecclesia aliquas sacramentorum materias, aut formas determinassent quoad substantiam, Christus non instituisset illa immediate, sed tantum mediantibus hominibus materias et formas determinantibus. V. *Additiones Casin.* in fin. h. art.

(28. Secunda pars conclusionis defenditur passim a doctoribus cum Mastro, in 4, disp. 36 et 43; Suarez, part. III, tom. III, disp. 1, sect. 3; Gonet, *De sacrament. in man.*, tract. 2, cap. 2; et tract. 6, cap. 3; Gobat, tom. 1, tract. 8, n. 53; Reiffenstuel, *Theolog. moralis*, tract. 14, dist. 1, qu. 1, n. 21; La Croix, lib. VI, p. 1, n. 18. Aliquæ enim materiæ et formæ fuerunt a Christo institutæ solum in genere, determinandæ in particulari et in specie ab apostolis, vel Ecclesia, quæ in particulari adhiberet res sensibiles, et verba apta ad exprimendam significationem illam, ad quam exprimentam fuerunt sacramenta illa ab ipso Christo Domino instituta; sic in sacramento Ordinis determinatum solum fuit a Christo aliquid in genere significativum potestatis, quæ confertur, relinquendo Ecclesiæ potestatem determinandi in particulari juxta exigentiam temporum, locorum et personarum, materiam et formam aptam ad significandam et exprimendam potestatem illam, quæ ordinatis confertur; unde de facto patet ex praxi primitivæ Ecclesiæ, quæ ante descriptionem et impressionem Evangeliorum

et Epistolarum non potuit, uti modo, diaconis et subdiaconis, in eorum ordinatione tradere librum Evangeliorum et Epistolarum. Item patet ex praxi Ecclesiæ Græcæ et Latinæ, quarum quælibet valide conficit sacramentum Ordinis, quamvis non conveniant in materia et forma particulari quoad speciem, sed solum in genere, quatenus utraque Ecclesia ulitur certa materia et forma apta ad significandam et exprimendam potestatem, quæ ex intento Christi Domini traditur ordinatis. Sic etiam in sacramento Pœnitentiæ determinata est solum in genere materia remota, quæ sunt peccata actualia post Baptismum commissa, sive sint mortalia, sive venialia, sive hujus, sive illius speciei, et etiam solum in genere determinata est materia proxima, nempe dolor communis contritionis et attritionis. Et solum in genere determinata est ejus forma, dummodo concipiatur et proferatur verbis actum judiciale sententiæ vere absolventis, sufficienter exprimentibus. Ita etiam in Matrimonio determinatus est pro materia contractus in genere legitimus, quo tradatur mutuam jus ad usum corporum, et pro forma determinatum est solum in genere signum externum, cum ejus forma possint esse verba, vel formalia, vel tantum æquipollentia, uti sunt scriptio et nutus, quæ inter se specie distinguuntur, et sic de aliis proportionate discurrendo; unde clare constat, quod materiæ et formæ sacramentorum fuerunt omnes a Christo institutæ et determinatæ quoad substantiam; at non omnes et singulæ uniformiter et æqualiter in particulari et in specie. Ad quod facit concilium *Tridentinum*, sess. XXI, cap. 2, ubi sic expresse habet: « Præterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, et locorum varietate magis expedire judicaret. »

(29. Omnis mutatio substantialis facta in materia, vel forma sacramentorum irritat et invalidat sacramentum; secus autem si sit solum mutatio accidentalis. Communissima omnium theologorum, qui ad hoc communiter tradunt has duas regulas: « I. Si mutatio materiæ, vel formæ sit substantialis, non fit sacramentum. II. Si mutatio materiæ, vel formæ sit tantum accidentalis, fit sacramentum. »

(30. Mutatio autem tunc censetur substantialis, quando juxta communem usum et existimationem prudentum non manet amplius eadem res in nomine et substantia cum illa, quam Christus instituit et determinavit pro materia sacramenti: seu, loquendo de forma, quando non manet amplius in verbis idem sensus per verba intentus a Christo; tunc vero censetur solum mutatio accidentalis in materia, quando juxta communem usum et existimationem prudentum res adhuc remanet eadem in substantia; et tunc censetur solum mutatio

accidentalis in forma, quando remanet adhuc in verbis idem sensus per verba intentus a Christo. Sic doctores communiter.

(31. Quoad materiam et formam propriam cujuslibet specialis sacramenti, earumque mutationem substantialem vel accidentalem, *vide* in suis propriis locis, et signanter sub verb. BAPTISMUS, etc.

(32. Quamvis ministri sacramentorum mali sint, sacramenta non cessant esse bona. Cap. *Si justus* 30, cap. *Ex catholica* 31, cap. *Sic autem* 32, cap. *Non foris* 33, cap. *Nonne Sodomitæ* 37, cap. *Dominus declaravit* 87, cap. *Christus* 88, et cap. *Non nocet* 99, caus. 1, q. 1.

(33. Sacramenta enim valide fiunt etiam a malis ministris in peccato mortali existentibus. Conc. *Trid.*, sess. VII, canon. 12, ibi: « Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, anathema sit. »

(34. Unde sacramenta ministrata a malis ministris eis nocent, non autem sumentibus. Cap. *Omnia sacramenta* 78, cap. *Christus* 88, et cap. *Non nocet* 89, caus. 1, q. 1, cum similibus.

(35. Sacramenta non possunt ministrari ab omnibus Christianis. Conc. *Trid.*, sess. VII, canon. 10, ibi: « Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit. »

(36. Sacramenta fieri non possunt nisi a ministro habente intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Conc. *Trid.*, cit. sess. VII, canon. 11, ibi: « Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit. »

(37. Quoad plurima alia, quæ concernunt ministrum sacramentorum. *Vide*, verb. MINISTER SACRAMENTORUM per tot, a n. 1 ad n. 54.

(38. Quoad ea, quæ concernunt intentionem requisitam ad valide conficienda, seu ministranda, vel recipienda sacramenta. *Vide* verb. INTENTIO, a n. 14 ad n. 43, et a n. 57 ad 61. V. *Addit. Cas.*, ibi.

(39. \* Sententia asserens in sacramentis conferendis non requiri in ministro intentionem aliquam faciendi quod facit Ecclesia, sed tantum præstandi ritum externum, nulla censura ab episcopis configenda est. *De synod. diæces.* lib. VII, capit. 4, § 9.

(40. Verum contraria tutior, et omnino servanda in praxi. Quare si quid ejusmodi contigerit, et necessitas urgeat, sacramentum Baptismi sic collatum, sub conditione iterum perfici oportet. Quod si res hujusmodi sit, ut moram patiatur, consulenda est Sedes Apostolica, *ibid.* \*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(41. Quæstiones, quas circa materiam et formam sacramentorum movent scholastici, et inter hos auctor, præcipue sub sæculum

XII aut XIII, exortæ sunt. Ab eo enim tempore sacramenta per materias et formas explicari cœperunt. (42. « Et primus *Scholasticorum* (ut inquit Morin., *De SS. ordinat.*, part. III, exercit. cap. 3, nu. 6), quem legi, qui hæc sacramenta explicandi methodum amplexus est, et docuit, Gulielmus est Antissiodorensis, qui scribebat paulo post annum 1215. » (43. Additque n. 10, ante hæc tempora theologos totam hæc sacramentorum materiam explicasse « per verba signi et rei sacræ seu invisibilis, dicentes sacramentum constare signo et re sacræ seu invisibili. Per signum intelligebant, quod postea per materiam significatum est, atque etiam quod per formam, quidquid scilicet sensibus percipitur. Per rem sacram seu invisibilem effectum sacramenti, gratiam scilicet sanctificantem. Hic est apud antiquos frequentissimus explicandi modus. Unde illa definitio, sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma. Formam vocant speciem, quæ sensibus percipitur (23). »

(44. E philosophia vero Peripatetica nata est ratio hæc explicandi sacramenta per materiam et formam. (45. Ea enim rerum naturas sub nominibus hæc materiæ et formæ inquirere et examinare solebat. (46. Hæc igitur philosophia, quæ jam sæculo XII, radices agere cœperat, inbuti theologi, eandem philosophandi rationem in theologiam, atque potissimum in sacramentorum doctrinam introduxerunt, ut recte observavit Morinus, *loco mox citato*, numer. 3, ubi, « quod potissima cura fuit definire, quæ fuerint sacramentorum materiæ, quæ formæ, et sub horum nominum insigniis principales de sacramentis quæstiones efformare et protendere (24). »

(47. De quæstionibus hæc circa sacramenta in generali, tum singula in particulari, qui instrui cupit, adeat scholasticos, qui integros de sacramentis tractatus edidit. (48. Meo vero iudicio recte Vanespen, omissis dictis quæstionibus, quæ nec ad externam sacramenta administrandi rationem, neque ad canonicam disciplinam spectant, id sibi proposuit, ut circa sacramenta proponeret et discuteret disciplinam, quam sacri canones, synodalia decreta et ritualia in eorum administratione servandam præscripserunt. Consule igitur ipsum, ubi res postulat part. II *Juris eccl. univers.*, a tit. 1 ad plur. seq. Confer etiam erudita pro more commentaria clarissimi viri, et nunquam satis pro merito commendati Josephi Catalani, in *Rituale Romanum*.

#### ADDITIONES CASINENSES

Ad num. 27 h. art.

*Auctor sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus?* ait Ambrosius lib. IV *De sacram.*, cap. 4, cum quo Patres omnes, ne-

(25) Addendum tamen, sacramentorum quam dicimus materiam, olim dictam fuisse *elementum*, formam *verba*: quo spectat illud Augustini tract. 80 in *Joannem*: *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*.

(24) Cave hinc cum Sarpio *Tridentinum* concilium propterea irrideas, quod philosophorum sui

mine prorsus excepto, consentiant. Hoc et protestantes fatentur; sed quia negant sacramenta esse septem, negant etiam omnia hæc septem sacramenta a Christo fuisse instituta.

Catholici contra, sacramenta omnia esse a Christo instituta docent: sed utrum ipse per se *immediate* omnia instituerit, an *mediate*; hoc est an fecerit Ecclesiæ potestatem *nonnulla* instituendi, inter se disputant. *Nonnulla*, inquam, nam ex Evangelio utique perspicuum est, Christum *immediate* instituisse Baptismum et Eucharistiam. Porro magister *Sententiarum* lib. IV, dist. 23; Hugo Victorinus, lib. II *De sacram.*, cap. 2, Confirmationem et Extremam Unctionem institutam esse contendunt ab apostolis: imò Alexander Halensis, part. IV, *Sum.*, q. 24, membr. 2, et S. Bonaventura, in 4, dist. 7, art. 1, q. 1, putant Confirmationem institutam esse in concilio quodam Meldensi, longe post apostolos. Econtrario nonnulli cum Bellarmino, lib. I *De sacram.*, cap. 23, sentiunt, definitum esse ut dogma fidei a concilio *Tridentino*, Christum omnia sacramenta *immediate* instituisse. Alii denique cum Soto, in 4, dist. 1, q. 5, art. 2, q. 3; Estio, in 4, dist. 1, § 16, et aliis, mediam ineuntes viam, docent, id quidem esse certum, non tamen dogma fidei.

Cumque nemo post concilium *Tridentinum* negaverit, Christum *immediate* omnia sacramenta novæ legis instituisse, res evasit utique inter theologos certissima, ut sine temeritate negari non possit. « Sed modo (concludit Gazzanica) tanto consensu omnes docent theologos, omnia sacramenta fuisse a Servatore nostro *immediate* instituta, ut id negare, sin minus hæreticum, saltem temerarium putetur. » *Prælect. theolog.*, De sacram. in gener., dissert. 1, cap. 8, n. 283.

Non æque tamen est exploratum, utrum Christus in *specie*, an in *genere* materiam et formam omnium sacramentorum definiiverit sive determinaverit. Determinatur porro in *genere* materia et forma, cum rem ex materia et forma constare debere statuitur; sed nulla certa aut materiæ aut formæ species designatur, ut cum simpliciter artificem jubes, *exsculpe statuum*; determinatur vero in *specie*, cum certa materiæ et formæ species eligitur, ut si quis artificii diceret, *elabora mihi statuum Cæii ex auro*.

Jam vero dogma fidei est, Christum in *specie*, materiam et formam Baptismi et Eucharistiæ definiivisse. De reliquis autem sacramentis controversia est. Magister *Sententiarum* lib. IV, dist. 23; Petrus Cantor, *Sum. de sacr.*; Alexander Halensis, *Sum.*, part. IV; S. Bonaventura, in 4, dist. 23, art. 1, q. 2, imò e recentioribus Bellarminus,

temporis phraseologiam in canones fidei transulerit. Id ante *Tridentinum* alia quoque concilia usurpaverant; quin mos ita loquendi etiam ad Orientales ipsos penetravit, ut ex responso Jeremiæ patriarchæ Constantinopolitani ad Wittembergenses dato c. 7 constat.

*Lib. de sacr. Ord.*; Jannes Marinus, lib. VIII *De administr. sacr. Pœnit.*, alique viri doctissimi opinantur, Christum eorum sacramentorum materiam et formam in *genere* tantum definiivisse. Estius, Juvenin, alique tenent, Christum utrumque definiivisse in specie. Docet Habert, materiam quidem à Christo in *specie* definitam, formam vero in *genere*.

Cæterum illud profecto concludi potest, non esse certum, Christum in *specie* definiivisse materiam et formam omnium sacramentorum, cum post concilium *Tridentinum* theologi doctissimi contrarium teneant. Sed vide auctorem hic *supra* num. 28.

#### ARTICULUS II.

Quoad ea quæ concernunt sacramentorum effectus.

##### SUMMARIUM.

1. Effectus sacramentorum novæ legis est duplex, scilicet unus generalis omnium, et alter particularis aliquorum. — 2. Effectus generalis omnium sacramentorum est gratia sanctificans. — 3. Omnia sacramenta novæ legis sine obice suscepta conferunt ex opere operato gratiam digne sumentibus. — 4. Effectus particularis aliquorum sacramentorum proprius est character. — 5. Sola tria sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio et Ordo imprimunt characterem. — 6. Quoad ea, quæ concernunt gratiam generatim et gratiam sanctificantem, *remissive*. — 7. Præter gratiam sanctificantem habitalem per quodlibet sacramentum digne susceptum, conferuntur hominibus digne suscipientibus etiam aliæ speciales gratiæ actuales opportunæ ad consequendos proprios fines singulorum sacramentorum cum aliis notandis ad n. 25. — 24. Ad recipienda fructuosa sacramenta mortuorum requiritur in adultis in lethali existentibus contritio vel saltem attritio. — 25. Ad recipienda rite et fructuose sacramenta vivorum requiritur per se loquendo status Gratæ. — 26. Imò ad digne et fructuose recipiendum sacramentum Eucharistiæ requiritur, ut scienter existens in peccato mortali præmittat de ipso sacramentalem confessionem, nec sufficit contritio. — 27. Sublata seu recedente fictione suscipientis, reviviscit Baptismus fide susceptus. — 28. Etiam alia duo sacramenta imprimunt characterem, si fide recepta sint, recedente postea fictione, reviviscunt. — 29. Etiam extrema Unctio et Matrimonium probabiliter reviviscunt recedente fictione. — 30. Pœnitentia autem probabiliter non reviviscit recedente fictione. — 31. Eucharistia vero probabiliter reviviscit recedente obice, si obex removeatur, antequam consumptæ sint species: Secus tamen si obex removeatur solum, postquam jam totaliter consumptæ sunt species, et Christus jam desiit esse præsens. — 32. Sacramenta non causant gratiam physice sed moraliter. — 33. Character sacramentalis, qui est effectus particularis aliquorum sacramentorum proprius, imprimitur solum in tribus sacramentis, scilicet Baptismo, Confirmatione et Ordine. — 34. Cur sola dicta tria sacramenta, et non alia quatuor imprimant characterem? — 35. Character definitur. — 36. Character non est pura relatio rationis, aut denominatio extrinseca. — 37. Character neque est relatio realis, sed entitas absoluta. — 38. Character sacramentalis non subjectatur in anima sub ratione formali. — 39. Sed subjectatur in anima sub ratione formali voluntatis. — 40. Character sacramentalis de potentia Dei ordinaria est indelebilis tum in hac, tum in alia vita. — 41. Potest tamen deleri de potentia Dei absoluta tam in hac quam in altera vita. — 42. Alia ad rem cum addit. *ex alien. manu* ad n. 65.

(1. Effectus sacramentorum novæ legis est duplex, scilicet unus generalis omnium, et alter particularis aliquorum. *Communis*.

(2. Effectus generalis omnium sacramentorum est gratia sanctificans. *Communis*.

(3. Omnia enim sacramenta novæ legis sine obice suscepta conferunt ex opere operato gratiam digne sumentibus. Communis inter Catholicos, et sic expresse habetur ex conc. *Florent.*, sess. ultim. in decret. Eugenii IV, § 5 *Ecclesiasticorum*, ibi: « Novæ legis septem sunt sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium. Quæ multum a sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc vero nostra, et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt; » et novissime sic est definitum in conc. *Trident.*, sess. VII, canon. 6, ibi: « Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre..... anathema sit: » et canon. 7, ibi: « Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus, anathema sit. »

(4. Effectus particularis aliquorum sacramentorum proprius est character. *Communis*. (5. Sola enim tria sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio et Ordo imprimunt characterem. Communis inter Catholicos, et habetur ex conc. *Flar.*, *loc. cit.*, ibi: « Inter hæc sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio et Ordo, quæ characterem, id est spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile; unde in eadem persona non reiterantur; reliqua vero quatuor characterem non imprimunt et reiterationem admittunt. » Et ex concil. *Trid.*, cit. sess. VII, canon. 9, ibi: « Si quis dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit. »

(6. Quoad ea quæ concernunt gratiam generatim, et gratiam sanctificantem. *Vide* verb. GRATIA UT EST DONUM DEI per tot.

(7. Præter gratiam sanctificantem habitalem, per quodlibet sacramentum digne susceptum conferuntur hominibus digne suscipientibus etiam aliæ speciales gratiæ actuales opportunæ ad consequendos proprios fines singulorum sacramentorum. Communis omnium conciliorum, Patrum et doctorum sic intelligentium et significantium, quando dicunt, quodlibet sacramentum conferre gratiam specialem sibi propriam. Et ratio clara est, quia cum singula sacramenta sint a Deo instituta ob speciales suos fines, oportet etiam, ut conferant speciales gratias actuales, quibus ea digne suscipientes juventur ad fines illos consequendos.